

real Crabs-Eyes, are often substituted instead thereof.
Permit me to subscribe myself with all possible Respect,

S I R,

London, Febr. 25.

1747-8. *Your most obedient humble Servant,*

Henry Baker.

IX. Brevis historia naturalis, sive de Vita, Genero, Moribusque *Muris Alpini*: Autore *Jacobo Theodoro Klein*, Reipubl. *Gedanens.* à Secretis, et R. S. *Lond.* S. communicata per *Petrum Collinsonum*, ejusdem Societatis S.

Read Feb. 25. ^{1747-8.} **B**ESTIÆ ex murium gliriumve genere ad *animalia industria* numerantur.

Nulli bestiarum, nedum insectorum multitudinibus, ingenitam denegamus industriam, i. e. mores et studia, pro vitæ suæ genere, ad conservationem et progeniem adæquata. In quibusdam circumscripta nobis videntur; uti juxta *aranearum* tribum, sive ex telis, staminibus, retibus vel caſſiculis scientifice constructis, sive ex latebris viētum capientium; quædam *philomosos* dixeris, ut admirandum animal *Castorem* (a), lignationis, hydrographiæ, aggreſionis et architecturæ

(a) Cons. quadr. *Hist. prodrom.* p. 19. --- *Hist. de l' Acad. des Scienc.* 1737. p. 10. ibid. On ne trouve guere parmiſ les grands Animaux, que les *Castors*, qui ayent une de ces industries singulieres et incomprehensibles a l'Esprit humain.

tectorum studiosum; nonnulla pharmaceuticam et geometricam artem edocta, ut *Apes*; rufus alia ad artes mere liberales: Petauristæ, ferrarii, navicularioris (*b*) ut *Sciuri*, se profitentia; ne dicamus de insidiatoribus, prædatoribus, ut *Bavis*, et sicariis, latrocinia et abactionem exercentibus, *Urso*, *Lupo*, *Vulpe*, *Mustelis*; sic nemo facile animalibus industriam, pro vita suæ genere, abjudicaturus.

Sed valde fallimur, fallimusque aliquando, circa mores nonnullorum, quos ingenitæ industriae superaddimus, multoties cerebrinos. Errores nobis ipsi tribuamus, quod sæpiissime historiolas ex antiquitate ad nos transfusas æqui bonique habemus, quæ vero ad rectæ rationis examen revocatae in fabulas abeunt.

Ecquis, emuncti nasi, cum mundo symbolico crederet, Leænam catulos edere inanimatos, rugitu matris vel patris animandos? Quis informem massam sive molam *Ursi*, lambendo a matre in sui similem bestiam efformandam? Quis *angues*, quos astutia et malitia omnes bestias antecellere dicimus, e cavernis, narium cervi spiritu evocandos, ut se devorari patientur? Quis fide dignus testis centesimum *Cervi* superavit annum, quo hujus lacryma ipsa ossibus ad oculi canthum accreverit ea durtie, quæ cornu superaret? Quis cum Sophocle *lacrymas Gallo-Pavonis* vel *Meleagridis* (*c*) verteret in *Succinum*? Et sexcenta commenta reliqua.

Quod

(*b*) *Phil. Trans.* N°. 427. p. 38.

(*c*) *Conf. Franc. Vetez. Hist. de los animales*, p. 70. Sophocles entre los antiguos, dixo, que et *Succino* era *lagrimas congeladas* de unas aves llamadas *pheasanzas* de los Griegos, las quales son un genero de Gallinas de las Indias o Moriscas.

Quod ad **MURES ALPINOS** attinet; nomen habent a summis *Rhetiae* Alpibus, herbarum graminisque fertilibus, in quibus habitant. In Sabaudia audiunt *Marmotæ*, in Germania **Murmel Thiere**, in Ucrania, Podolia in montibus Scepusiensibus, necnon in Russiæ Palatinatu ad pagos Podicemne et Zimnawoda *Bovasci* (*d*) ad montes vero Carpaticos *Swiszez*, unde vallis Swiszeza denominatur, Gallis, *Rats des Alpes*.

Fele domestica corpulentiores sunt; *juniores* rufi; *adulti* subfuscæ coloris; *pilis* rigidiusculis; *pedibus* brevioribus; *capite* contracto; *naso* quasi diviso; *ore* felinis pilis stipato; *dentibus* sciuri, vel potius fiberinis; *collo dorsoque* latis et obesis; *auribus* decurtatis, quasi mutilis, rotundis; *oculis* speciosis, prominentibus; *cauda* adinstar caudæ muris avellani, quasi compressa et pilosa, palmam cum dimidio longa; *digitis unguibusque* sciuri æmulis, sed fortioribus.

In *libertate* fructibus, herbis, gramine, radicibus, imo et insectis vaginipennibus ac locustis vescuntur; *cicurati* variis obsoniis, in primis lacteariis (*e*) delectantur; carnes, panem, fructus, similemque pastum, ut sciuri, anterioribus pedibus ori admoventes.

Catulos ponunt tres vel quatuor; ab *autumno* in verna usque tempora, per familias juncti, in cavernis ad figuram literæ Y excavatis, et bene obturatis, satis ample fornicatis, *alto somno* inter tantillum straminum vel fœni sepulti quiescunt; sole ruris propitio

(*d*) *Rzaczynski*, in auctario Hist. Nat. Polon. p. 327. quod nondum publice prostat. (*e*) Murmuratum edunt, dum mortuibunt lac: Unde *Germanus*, me judice, **Murmel Thiere**; i. e. *murmurans Bestia*.

pitio evigilant, vigilantque claustra solventes, et ad egestionem fæcum, ad pastum, et ad opera aphrodisiaca exeuntes colludunt petulanter, uti solent mures in primis campstres, saltantes et in arborum truncos ludibundi scandentes; aliquando bipedes ingrediuntur; vocem catelli vel acutum fistulæ sonum edentes.

Tardissima ipsis est per hyemem sanguinis circulatio; tardissimæ omnes sunt corporis secretiones; nulla interim seri vel lymphæ revectione, ut tandem sanguis omni pene sero orbetur (f). Omentum et vicina interanea admodum sunt obesa. Ruminantes non dixeris; ventriculum enim simplicem habent, membranosum, licet in libertate constituti herbivori sint; versus intestinum cæcum valvulas observaveris conniventes, annulares, et veluti in ramos protensas, prout ingressus Ilei inter duas tunicas annulares; ita, ut nullus prouersus concedi possit excrementis, pro egestione, ad intestina tenuia regressus, quorum tam collectio per integrum hyemem (qua dormiunt) fit, quæ amendantur ad cæcum, ibique ad vernum usque tempus perdurant.

Hoc vitæ genus est, illi sunt mores, quos exploratores habemus Murium Alpinorum, qui BOBAKI vocantur. Quid per Emptram, murem montanum, intelligent Albertus et Agricola, me latet; cum mure autem Norvagico, Lemmus, Leming, Lommer dicto, Mures Alpini nihil commune habent; illos

Wormius

(f) *Philos. Trans.* N°. 397.

Wormius (g) in nubibus generari vult, exinde in Norvagiam deciduos, qui tamen et in Lapponia sunt frequentes.

Moribus Marmotarum superaddidit *Plinius*, sed notanter *ex relatione aliorum*, prorsus singularia :—
 “ Sed si pabulo ante in specus convecto, cum quidam
 “ narrant, alternos marem et fæminam supra se com-
 “ plexo fasce herbæ supinos, cauda mordicus appre-
 “ henfa, invicem detrahi in specum, ideoque illo
 “ tempore detrito esse dorso.” Hanc narrationem
 vertit *Agricola* in historiam Marmotæ naturalem :
 “ Mira vero, inquit, eis machinatio et solertia, cum
 “ fœnum jam congefferunt; unus enim humi stra-
 “ tus erectis pedibus omnibus jacet in dorso, in quem
 “ tanquam in plaustrum quoddam cæteri ea, quæ
 “ congefferant, conjiciunt, et sic onustum cauda
 “ mordicus comprehensa in specum trahunt, et quasi
 “ quodammmodo invehant.” Cui *Gesnerus* non vi-
 detur assentire, inquiens : Eodem modo Castorem
 ligna advehere, et Taxos effossam terram pro domi-
 ciliis, donec satis ampla sint, vehere, apud recen-
 tiores legimus (h). Fides penes autores esto : Facetiam
 quoque

(g) In museo suo — et in peculiari tractatu, cui titulus : *Histo-
 ria animalis, quod in Norvagia quandoque e nubibus decidit.* *Hafniæ
 1653, 4to.* Conf. *Scheffer.* *Lapponia, c. 29.* *Umb. Beytr.* 1741.
X Ss. Linn. aet. Suec. et Fauna Suec.

(h) Notum potius testatumque facimus : *Castores* xyloromos,
 non per terram farraco, sed per flumina, infixis in ligna ad littora
 cæsa dentibus suis, lignationes pro palatiis advehere. *Rzaczynski*
 p. m. olim hac de re me conveniens responsum tulit : Noli figura
 comprobare. Fuit apud nos vir militaris strenuus venator, qui
 omni animo, invocatis cunctis divis, nobis persuadere volebat,
 quod *Vulpes* terram in cryptis inversæ caudæ imponat, eamque retro
 gradus extra antrum, außerhalb dem Bau, deponat. Sed fabula
 manet.

quoque hominis industrii et fictum appellare *idem*. Solere hos mures fœnum in dorso gestare, cauda per dorsum reducta, et mordicus apprehensa (*i*) obfirmatum, pro func scilicet, ut homines fœnum bajulant.

Miramur, doctissimum *Spon* suprafatam narrationem ex animo pro vera venditasse historia: “ Rats “ des Alpes faisant *provision* l’été pour l’hyver du “ foin et d’autres herbes, qui leur sont nécessaires, “ pour s’en acquiter plus promptement, il y en a un, “ qui sert de *Charrette*, se mettant sur le dos, les “ pattes en l’air, et embrassans le foin. et un autre, “ qui sert de *Charretier*, et le tire par la queue “ jusqu’à leur tanniere; ce qui est cause, qu’on leur “ ordinairement le dos tout pelé (*k*). ”

Magis miramur novissimam relationem, *magni*, et post fata, *nominis CARDINALIS POLINIACI* Mures Alpinos bella inter se gerere, trucidare se invicem bellicantes, et victores victos secum ducere in servitatem ad sustinenda servitia domestica, et pro invenientibus rebus ad victimum necessariis (*l*) mores ante a nemine observaros; quos si *Eminentissimus Purpuratus*

(*i*) Cum tamen muribus *Alpinis* sit caudæ nimis curta supellex.

(*k*) Et fœnum et herbæ recentes in antris putredinem hyeme contraherent. Cæterum obesitas dorsi, petulantia et somnolentia raritatem pilorum in dorso marmotis, et fetis et cicuratis, conciliant. Nonne et alia quadrupedia (fere omnia pilosa) capillorum defluvia patiuntur?

(*l*) In *Antilucretio*, lib. vi. vers. 185. seq. (Paris. 1747, 8vo.)

(*Baubaces patria dixerunt voce Poloni*)

Vulpinum genus —

— de latebris et gramine certant.

— In captivos dominorum provida miras

Sævitia exercet pœnas, mœsta agmina condunt

In foveis, coguntque omnes servire per annos :

Atque

ratus ipse suspectos non habuit, nobis imperaverit : obtinere jus belli et pacis inter bestias sui generis ; cum tamen

Cornix cornici nunquam perfodit ocellum.
nec lupus lupum est ; et quem in finem *mancipia* Marmotis pro viētu colligendo necessaria ? Quod certo certius novimus, Mures Alpinos vel per *octo menses* dormire, nullis obsoniis opus habentes ; nec ullum mancipiorum negotium, quasi per tractatus *d' Assiento*, inter illos et alias bestias intercedere potest, nisi forte ipsis abuterentur, prout homines mancipiis auro solidō comparatis jure utuntur ad fodiendam terram.

Quicquid autem sit juxta novellam historiam ; juxta *antiquam fabulam* ridiculum audit ; *equis ad posteriorem currus partem uti*, et inverso ordine naturae, contra naturalem, pilorum et exuviarum dispositio nem, mordicus prchensa, temonis loco, cauda animalis, idem animal, quasi maleficum et damnatum, veluti ad currum vel traham religatum trahere, inque ipsa via vecturae adferre obstacula. Si pro lecto opus habent mures foeno, sufficit ejus parca collectio et transportatio vel ore vel pedibus anterioribus mediantibus, quod et bipedes ingredi posse bestiolas novimus.

Sic est : *Historia naturalis* non bene digesta abit in fabulam ; *præjudicia vero et nimia credulitas Veritatem*, etsi minus satis cognitam, longissime aliquando propellunt. Hoc est.

X.

Atque ubi tempestas bruma veniente rigescit,
Et complenda manet secto cellaria foeno,
Protinus ad messem ducunt servata ferendam
Mancipia, inversisque solum premere atque supinis
Corporibus, tum crura jubent attollere sursum,
Quatuor erectis persistent ut gramina palis.
Inde onerant caudaque trahunt animantia plausta:
Erasoque vias miserorum tergore verrunt.